

nec omnino turpiter fuit ignarus, sed mediocriter eruditus. Virtutem tamen scripturarum profundissime didicit, qui exercitium divini amoris in suo pectore jugiter portavit; scientia enim divinarum scripturarum medicina animae est; Charitas autem Dei bonis et sanctis formata operibus vera sanctitas est mentis. Quid infirmus<sup>1)</sup> de medicina gloriatur, qui ad sanitatem ea non utitur? Melius est sanitatem habere, quam medicinam, et magis optandum, ut sanus sit homo, quam medicus. Ita sanctus iste Gerungus, quoniam mente fuit sanus et incolumis, opus non habuit medicinis. In divino amore semper ardebat suaviter, et ideo non fuit scripturis investigandis deditus vel occupatus inutiliter. Bonum est salubres habere medicinas, sed melius est sanctitate confirmata non indigere medicinis: et bonum est divinas scripturas legendo et sciendo sapienter revolvere, sed habere veram charitatem radicatam in corde, est fructum scripturae optimum possidere. Gerungus ergo fructum divinarum scripturarum hausit optimum, qui pauca quidem didicit, sed multa bona fecit; scriptor tamen manualis et bonus fuit et studiosissimus, qui multa volumina scripsit sua manu ad utilitatem fratrum communem. Quando congregatio de S. Aurelio transivit ad novum monasterium post mortem S. Wilhelmi abbatis, Gerungus cum duodecim fratribus in priori mansit coenobio et de mandato Gebhardi abbatis super eos aliquamdiu prioris gessit officium. Post haec monasterio cellae Paulinae per ipsam Christo devotam famulam consummato et abbati Hirsaugiensi ex more oblato, Gerungus abbas a tota congregatione Hirsaugiana illo destinandus eligitur et cum fratribus decem, ut dictum est, S. Paulinae destinatus. Quem illa cum summa devotione ut verum Christi servum suscipiens, ordinari a Ruthardo archiepiscopo petiit, et mox ei monasterium cum omnibus possessionibus suis regendum commendavit.

Trithemius, Chronicon Hirsaugiense. Basileae 1559<sup>2)</sup>. p. 137: [Gerungus]. Tandem electione et consilio fratrum suorum ad praefatum monasterium, quod cella Pauline usque in hodiernum diem appellatur, primus abbas ordinatus, et cum aliis monachis hujus coenobii nostri decem ad institutionem ordinis secundum desiderium S. Paulinae missus est. Ipsa enim S. Paulina, in eo loco haereditatis suae paternae, ubi Christi militiam assumpsit, et annis multis in conversatione sanctissima usque ad mortem continuavit, suis impensis monasterium fundavit ordinis nostri, temporibus Heinrichi 4. im-

1) P. 344. 2) Aus dieser Schrift des Trithemius theile ich hier nur das Wichtigste mit. Was sich sonst auf S. 102 f. und 136 f. über Paulina und Paulinzelle findet, ist nur der Form nach von Trithemius sonstigen Angaben verschieden, enthält aber dasselbe.